Amplum Memoriæ Monumentum,
pone Tumulum
VIRI
NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
atq; *EXPERIENTISSIMI,*
DOMINI

IO. THEODORI MEISNERI,

PHIL. & MED. DOCT. ac PHYSICI IN CIVIT. THORUN. FAMIGERATISSIMI, DIGNISSIMIQUE,
Cum A. R. S. 1711. d. 5. Aug.
In Templo Mariano
Solennibus conderetur Exequiis,
Honoris & prosperæ recordationis ergo,
Devinctissima mente, atque manu
erectum
ab
Intus Denominatis.



THORUNII,
Impressit Joannes Nicolai, NOB. SENAT. & GYMN. Typographus.

ERgo novos iterum fundit super æthere qvestus
Titan, dum pronus lacrymis sua gaudia condit
Immergens largo mœstorum lumina fletu?
Ducite nunc igitur fletus, & fundite rivos
Athera, nam lacrymæ, ac imbres, resoluta tepescunt,
Ipsaque funestis jam planctibus aura remugit,
Quippe gravi rumpunt suspiria pressa dolore
Pectore, & hinc mittunt questus lacrymasq; tepentes.
Tu quoque jam Patrium decus hoc, madefacta cruore
Luge urbs, chara Tibi cedidit nam portio Vitæ,
Tristibus & lacrymis, lacrymas assveta, revolve,
Inde pium funus mœstis ululatibus auge:
Suspiriis collisa sonant dum pectora palmis!
Ille Machaonia Medicus nam clarus in arte,
Corpore ab ægroto properantia pellere fata
Qui potuit, vivos etiam mulcere dolores,
Deficit, humanas & cunctas deserit Artes.
Nunc delubra pius radiantia lumine spectans
Divum, stelligeris sub tectis gaudia carpit.
Ipse meis igitur lacrymis nunc proluo vultus,
Dum Vir Docte Tuos linqvis, mox tecta beata
Scandens, unde sacras misces sermone loqvelas.
Cernit fata pia hæc pullata in veste Senatus,
Cernunt primores populi, qui vulnere tanto
Confusi, merito nunc publica damna dolore
Testantur, sed quid populos, proceresque referre
Nunc juvat? en largus jam profluit humor ab illis
Qvos deflere ne fas, oculis, nil vota valere
Publica nunc possunt memorando tristia fata.
Præpetibus Latona rapit mensesque diesque

Bigis

Bigis, quæ seris nunquam reparabimus Annis,
Summa Dies felix, ubi sed cum fine bonorum
Exitus ipse bonus mox presto est, longius ævum
Sæpius ingentes animos, & Vita superstes
Destruxit, veluti sunt pessima tempora vitæ.
Ille etenim cum vix vestigia firma locaret
In terra fragili primas & fingere voces
Posset, mox studiis illum pia cura Parentum
Tradidit ingenuis, quorum ut permotus amore
Flagranti, subito Doctorum providus Artes
Imbibit, & studiis seros jam prævenit Annos,
Excellens primis cum sese proderet Annis
Nobilis & Virtus, famam mox auxit honore.
Hoc inter luctus Chironi flebile carmen
Scribit, decentes pia Musa ac tollit honores,
Namque illum Aonii rapuerunt culmina montis,
Ut sic Hybleo populans alvearia melle
Conderet & claros Pæonis sedulus Artes,
Unde inter Sylvas Musarum quærere summa
Semina Doctrinæ cupiens, spatia ampla Lycei
Invisit studio, quos Lipsia docta foveret
Illustres medica claros & in Arte Melampos.
Hic ubi Pierias coluisset sedulus Artes,
Leydam mox doctis pariter quæ sæpe referta est
Præclarisque Viris, Urbs dives, florida pace,
Et studiis, sese doctus jam contulit, inde
Dum matura Viro rediissent tempora & Anni,
Trajecti quæ summa Viris Urbs sæpe superbit,
Ingenio sed & arte graves audiverat ille
Doctores, donec claros post terga Magistros
Linqueret, & Palmam Doctoris rite teneret,

Infelix

Infelix autem caret hoc jam Thorna medente
Urbs, cum Vir Doctus meruisset longius ævum.
Huic Ego, cum tanto me sæpe bearit honore,
Post Manes etiam tribuam modo mœstus amorem!

Hæc in Honorem, & Memoriam Excell. Dn. Doctoris, Patroni ac Fautoris sui æstumatissimi Cliens devinctissimus posuit
Georgius Hrabecius, *Panonn.*

Prosopopoeja Filiorum ad Patrem.

ALme Parens num nos Orbos post funera linqves,
Dum properas subito scandere tecta Poli.
Præcipiti rapuit Te nobis tempore messis
Florentem meritis, trux Libitina, pium.
Solvimur en lacrymas in amaros lumina fletus,
Singultus densi raraque Verba premunt.
Tu tamen ante dies Parcarum victima factus,
Discedis, gratus, Cœlica regna colens.
Clare Parens, vivant Tua quamvis nomina terris,
Et Cœlo surgant germina grata Tuo.
Te mortemque Tuam tamen ambo flemus acerbe
Tristia dum genitrix hæc Tua fata dolet.
Tu felix Cœlos petiisti, teque sequemur
Nos quoque conjunget, dum Tibi summa Dies.

Hæc lugens, mœstissimo calamo optimo Parenti suo obsequentiss. dedit Filius
Joh. Daniel. Meisner.

DEr Stein quält zwar den Leib/ nicht aber das Gewissen/
Drumb ist Er auch von uns so zeitig hingerissen/
Herr Vater/ doch der Stein der Trübsal quält mein Hertz/
Und häufft im Waysen-Standt den übergrossen Schmertz.
Doch tröstet dieses mich/ daß er den Stein der Weisen
Nun schon erfunden hat/ und kan den Höchsten preisen.

Also klagte und tröstete sich des Seel. Herrn Vaters hinterlassener Sohn
Jacob Heinrich Meißner.

(O)